Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et abiit ipse et sexcenti viri cum eo
ad achis filium maoch regem geth.
Habitavit david cum achis in geth.
ipse et viri eius et domus eius. et david
et due uxores eius. achinoen iezra
helitis. et abigail uxor nabal carme
li. Et nuntiatum est saul quod fugisset
david in geth. et non addidit ultra
querere eum. Dixit autem david ad
achis. Si inveni gratiam in oculis tuis.
detur michi locus in una urbium
regionis huius. ut habitem ibi. Cur
enim manet servus tuus in civitate
regis tecum. Dedit itaque ei achis
in die illa sycelech. Propter quam causam
facta est sycelech regum iuda usque in
diem hanc. Fuit autem numerus dierum
quibus habitavit david in regione
philistinorum. quatuor mensium. Et
ascendit david et viri eius. et age
bant de gethsuri predas. et de gethri.
et de amalechitis. Hii enim pagi ha
bitabantur antiquitus in terra euntibus
sur. usque ad terram egypti. et percu
tiebat david omnem terram illorum.
nec relinquebat viventem virum et
mulierem. Tollensque oves et boves
et asinos. et camelos. et vestes. reverte
batur et veniebat ad achis. Dice
bat autem ei achis. In quem irruisti ho
die. Respondit david. Contra meridiem
iuda. et contra meridiem ieramel. et con
tra meridiem ceni. Virum et mulierem
non vivificabat david. nec addu
cebat in geth. dicens. Ne forte loquan
tur adversum nos. Hec fecit david.
Et hoc erat decretum illi omnibus diebus
quibus habitavit in regione philistinorum.
Credidit ergo david achis dicens. Mul
ta mala operatus est contra populum suum
israel. Erit igitur michi servus sempiternus.

Factum est autem XXVIII
in diebus illis. congregaverunt
agmina sua philistiim. ut
preparent contra israel ad bellum. Dixitque
achis ad david. Sciens nunc scito
quoniam mecum egredieris in castris. tu et
viri tui. Dixitque david ad achis. Nunc
scies que facturus est servus tuus. Et
ait achis ad david. Et ego custodem
capitis mei ponam te cunctis die
bus. Samuel autem mortuus est. plan
xitque eum omnis israel. et sepelierunt
eum in ramatha urbe sua. Et saul
abstulit magos et ariolos de terra.
et miserat eos qui phitones in ven
tre habebant. Congregatique sunt philis
tiim. et venerunt et castra metati
sunt in sunam. Congregavit autem et
saul universum israel. et venit in gel
boe. Et vidit saul castra philistiorum.
et timuit. et expavit cor eius nimis.
Consuluit dominum. et non respondit ei.
neque per sompnia. neque per sacerdotes.
neque per prophetas. Dixitque saul servis
suis. Querite michi mulierem ha
bentem phitonem. et vadam ad eam
et sciscitabor per illam. Et dixerunt
servi eius ad eum. Est mulier habens
phitonem in endor. Mutavit ergo
habitum suum. vestitusque est aliis vesti
mentis. et abiit ipse et duo viri cum
eo. Veneruntque ad mulierem nocte.
et ait. Divina michi in phitone.
et suscita michi quem dixero tibi.
Et ait mulier ad eum. Ecce tu nosti
quanta fecerit saul. et quomodo eraserit
magos et ariolos de terra. Quare ergo
insidiaris anime mee ut occidar.
Et iuravit ei saul in domino dicens. Vivit
dominus quia non eveniet tibi quicquam
mali propter hanc rem. Dixitque ei
mulier. Quem suscitabo tibi. Qui
ait. Samuelem suscita michi. Cum ergo
vidisset mulier samuelem exclamavit
voce magna. et dixit ad saul. Quare
imposuisti michi. Tu es enim saul.
Dixitque ei rex. Noli timere. Quid